



P A R S II.

Obligatio Parochi II.

C A P U T I.

De inculpabili Parochi vita.

Q. 1. An Parochus magis tencatur recte vivere, quam alii Christiani? **R.** affirmativè. Ratio desumitur ex eo, quòd ideo in gradu suo ab Ecclesia locetur, ut exemplis alias excitet, imò ut ipse exemplar referat, juxta quod populus vivat. A locutus Pastorem quemlibet censendus est Apostolos, dum ita ad Titum scripsit. c. 1. v. 7. in omnibus te ipsum præbe Exemplum bonorum op̄rum: Christi Vicarij sunt Pastores, quibus dictum: exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita vos faciatis. Joan. 13. v. 15. Hac pertinet illud 1. Petri 5. v. 2. & 3. Pascite, qui in vobis est, gregem, ei providentes non coacte, sed spontaneè, neque ùs dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

Q. 2. An huic obligationi satis fiat, si non praecatur exemplo malo? **R.** negativè, quia non destruere, non est ædificare, & non vastare vineam, non est eam colere; maledixit Christus arbori, quæ fructum non protulit, quem debebat. Incepuit Dominus servum etiam illum, qui pecuniam Domini non qui-

Oblig. Parochi II. Pascere Exempl. 29

quidem dissipavit, sed sine fructu abscondit; officium omnis Christiani est: *declina à malo, & fac bonum*, quod amplius obstringit Christianorum Rectores,

Q. 3. An illi satisfiat, dummodo delicta virtutum pallio afforis tegnatur? *negativè:* quid enim proderit fortis esse pastorem, intrus lupum? ut exemplum Pastoris pascat populum, & in sui imitationem trahat, necesse est, ut DEUS illo tanquam instrumento utatur ad gratiam mortalibus conferendam; quomodo autem utetur hypocritā, qui protestatur se, cùm punire volet peccata alicuius populi, permisurum, ut ab hypocrita gubernetur: *qui regnare fasit hominibus hypocritam propter peccata populi.* Job. 34. v. 30. Accedit, quòd velle videri bonum, non sit auferre à se malum, sed augere: *simulata enim aequitas duplex iniquitas est.* S. Aug. in Ps. 63.

Q. 4. Qua regula hoc in punto sequenda? *5 E* Assignat illam S. Greg. Past. l. 2. c. 1. tantum debst actionem populi transcendere illius actio, quantum distare solet à gregi vita pastoris. Vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores Laicos esse, quam Clericos. VIII q. 1.e. qualis. Si vita clerici cujuscunque laici vitam exæquare oportet, quanto amplius vita eorum exæquet vitam laicorum necesse est, qui inter clericos ipsos supereminent?